



*gent. 3. num. 15. S. 20. 21. 4*

19

1704 17 8

12

*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIO IVRIS GENTIVM  
de

# CONTRAVENTIONIBVS FOEDERVM,

quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

*P. 167*  
DN. FRIDERICO WILHELMO,  
REGNI BORVSSIÆ ET ELECTORATVS  
BRANDENBVRGICI AC RELIQVARVM PROVINCIARVM  
HEREDE &c. &c. &c.

IN ILLUSTRIS FRIDERICIANA

PRAESIDE

IO. FRANCISCO BVDDEO,

P. P.

AD DIEM APRIL. A. M. DCC. I.  
*publico eraditorum examini submittit*

AVCTOR

CAROLVS FRIDERICVS GOLDBECK, Stendal.

Iur. Stud.

HALÆ MAGDEB. Typis Chr. Henckelii, Acad. Typogr.



4







I. N. I.  
CAPVT I.

De  
CONTRAVENTIONIBVS FOE-  
DERVM IN GENERE.

§. I.



Um de contrauentioni-  
bus foederum tractare aggredimur,  
merito sequimur morem eorum,  
qui statim in fronte pauca de signifi-  
catione verborum praemittunt, vt  
sublata verborum ambiguitate, eo  
melius thematis succedat tractatio.

Offert se primum vox *Contrauentio*, quæ descendit a voce  
contrauenire, quod idem est ac repugnare, aduersari, &  
opponere. Ita enim Cicero *L. 1. Tusc. quæst. c. 23. Ego vero  
facile sum passus, ne in mentem mihi quid contraueniret, ita isti  
faueo sententiæ.* Et Iulius Cæsar *L. VI. de Bello Gall. c. 29. si  
qua ex parte contrauenitur acie instructa depugnare. conf.  
c. cum accessissent X. de const. ibi contrauenire statu-  
to. item Instr. Pacis Westphal. art. 17. §. V. Vt adeo CON-  
TRAVENTIO sit exercitium actus naturæ negotii legitime & per-  
fecte antea celebrati repugnans.*

A 2

§. II

§. II. Dum autem dico: *legitime & perfecte celebrati*, contrauentionem secundum sensum iuris accipio, adeoque omnia negotia imperfecta ex post facto, seu quæ quidem ab initio perfecta, aliqua tamen qualitate deficiente per remedia iuris soluuntur, hic excludo. Imo multo magis negotia *ab initio imperfecta* seu meros tractatus, cum ex his nullum ius, nullus effectus sequatur, adeoque eisdem contrauenire nemo dici possit.

§. III. Variant autem contrauentiones pro obiectorum diuersitate, & sic vel *publica* sunt vel *priuate*, quæ itidem pro obiecti specialis varietate differunt. De publicis potissimis infra. *Priuararum* tot esse possunt species quot dantur contractus. Alia exempla sunt in *L. 51. C. de Episc. & cler. it. L. 29. C. de pactis, L. 10. C. de transact.* Ita mulier venit contra iuramentum Scti Velleiani renunciationem, Gail. *L. 2. obs. 41.* Filia contra renunciationem paternæ hereditatis Kellenbenz. *de renunc. succ. quest. 2.* conf. Berlich. *Dec. 44. n. 2.* De aliis vid. Franc. Nig. *Cyriaci Controu. for. Controu. 652. n. 10. & 11.* Knipschild. *de fideic. famil. Nobil. c. 6. n. 332. n. 385. & c. 16. n. 144. & c.*

§. IV. Hactenus species contrauentionum quasi *ως εν παρόδω* dedimus, iam de effectibus pauca videamus. In publicis quidem & priuatis ante omnia ad instrumenta super iis confecta respiciendum, quid in iis facta contrauentione sancitum sit, cum partes contrahentes in iisdem iuri in fauorem suum vel a natura vel legibus introducto renunciare, adeoque maiorem vel minorem vim addere, potuerint. His cessantibus, effectus pro varietate negotiorum vel ex LL. Imperii fundamentalibus, vel iure Naturæ, vel ex prouinciali vel Ciuili decisionem suam capiunt. Ut adeo non æqualis omnium effectus sequi possit. Equi-

Equidem alias multa Brocardica circumferuntur, quod sc. *contrauentio inducat renunciationem*, idque exemplo *L. 2. C. de iure dom. impetr.* probant, sed an generaliter hoc dici possit ego quidem valde dubito; sicuti nec hoc simpliciter admitti potest, quod *is iuri suo videatur renunciare*; qui *contrauenire alium non curat, nec de iure suo opponit*. Cyriacus *d. 1. Controu. 641. n. 6.* cum hic merito ad qualitatem personæ & ad tempus quod necessitatem contradicendi imponit, respiciendum sit. Ad effectus quoque contrauentionum pertinere videtur, an sc. *contraueniens legi de honestate loquenti peccet, an contraueniens legi consilii reuerentia, legi præcepti u. imperiali peccet mortaliter an venialiter*, quæ ventilat Ant. Vergus in *Repetit. C. Canonum statuta de Constit. n. 105. seqq.* Verum hæc somnia sunt hominum temperamenti melancholicum, quæ hypnocraticis relinquimus. Id tamen exempli loco adhuc notari meretur, quod Cardinalis contraueniens Constitutioni Pontificis Iulii II. super Electione Simoniaca ipso facto incurrat vitium Simonix, nec per Pontificem, canonice electum nisi in mortis articulo absolui possit. *vid. dicta Constitutio in T. VI. Repertorii Iuris Canonici.*

§. V. Alterum rubricæ membrum est vocabulum *FOEDVS*, in cuius originem diuersimode inquirunt. Alii illud a *fecialibus*, alii a *foede & cædendo*, sc. quia firmato fœdere porcus silice cædebatur, alii a fide deriuant. B. Conring. *Disput. de fœderibus tb. 1. Wahremundus ab Ehrenberg. Meditam. profœderibus c. III. n. 8. &c.* circa quæ pluribus non moramur, cum ea magis ad philologicas delicias, quam politicam sobrietatem pertineant iudice Forstnero in *Notis ad Tac. L. XII. Ann. c. 47.* Hinc de varia vocis acceptione hoc dixisse suffecerit, nos eam hic in *generaliori significatione* accipere, vt & simul *pax & induciæ* includantur. Aut enim *fœdera*

dera cum amicis inimus aut cum hostibus; hoc casu vel in perpetuum ubi pax, vel ad tempus ubi inducia. Paulo aliter Zochæus in iure fecciali P. I. Sect. 4. §. 4. & Sect. 9. §. 4. quod fœdus vel sit civile, vti fœdus in specie sic dictum, vel MILITARE vti pax & induciæ. Pacem autem dici fœdus ex S. Scripturæ locis Gen. 14, 13. c. 31, 44. Ios. 9, 15. 1. Reg. 20, v. 34. & profanis Historicis apparet. Polybius excerpt. leg. 135, 136. Liuius L. 34. in diuisione Menippina. Thuanus L. I. p. m. 41. De induciis idem tradit Ehrenberg. d. Tr. c. 3. n. 25. 29. c. 2. n. 66. quæ de cætero etiam pax temporaria, pax castrensis dicuntur.

§. VI. Pacis quidem & induciarum eadem est natura, at multo maior diuersitas in fœdere in specie sic dicto, inde etiam tot reperuntur diuisiones. Aut enim est commerciorum, aut belli. Vel æquale vel inæquale pro diuersitate præstationum, vel respectu conditionis Imperii, Grotius c. XV. §. VI. Porro vel offensiva vel defensiva. Ad hæc pertinet fœdus Smalcaldicum, Vnio principum protestantium Sueuica, confœderatio Lipsiensis & præter alia fœdus illud Moguntinum, Furstenerius de iure suprematus c. XXII. Conringius Exerc. Acad. Ex. III. §. 94. fœdus illud inter Regem Galliæ & R. Sueciæ Beerwaldiæ initum, Pufendorf de rebus gestis Gustani Adolphi L. III. §. 3. fœdus inter Pontificem, Regem Hispaniæ & Remp. Venetam contra Turcam magna solennitate Missæ & processionis percusum, Paolo Paruta Hist. Venetiana T. II. p. 102. 103. Schardius Tomo IV. p. 158. fœdus Regiomontanum Regis Galliæ & Frederici Wilhelmi El. Brand. Pufendorf. Rerum Brand. L. VI. §. 57. & alia innumera §. 12. l. IX. Ad defensiva pertinent Clientelaria eaque vel temporalia Temporal-Schug vel hereditaria Erb-Schug. Imo omnia illa pacta hereditaria, quæ singularem amicitiam ac defensionem mutuam respiciunt



unt, quas minus accurate confraternitates *Brüderl. Erb-Einigung* / *Erb-Verbrüderung* appellant & sic cum confederationibus confundunt iudice Ill. Dn. Strykio *Patrono meo perpetua obseruantia colendo in Tr. de Success. ab intest. D. VIII, c. 7. n. 3.* Ad ea autem merito pertinet *Vnio Electorum generalis* anno 1438 inter VI. Electores *Francofurti* contracta, cuius formulam exhibet Ill. Dn. *Andler in Iurisprud. publica L. 1. Tit. V. p. 253. vt & Vnio Rhenana* anno 1519. *Vesalia* (alii *Wormatia*) inter 4 Electores *Rhenanos* tempore *Interregni* condita, cuius summam tradit Per-Ill. Dn. *de Rhetz. Instit. Iurispubl. L. 2. T. 22. §. 6.* item prima illa confederatio inter *Duces Saxoniae & Hasfia Landgrauios*, anno 1262. inita, quæ non successoria sed defensiva fuit, *Carpzouius de confraternit. pactis Sax. Hasfac. c. 1. §. 17.*

§. VII. Præterea ratione durationis fœdera sunt vel *realia* vel *personalia*. Illa cum principe & populo ineuntur. Hæc autem cum solo principe in ejus tantum utilitatem, adeoque mortuo eo expirant. conf. Dn. *Præses in Diss. de Ratione status circa fœdera §. XX.* Cui distinctioni similis est distinctio fœderum inter illa quæ fiunt *ad tempus & in perpetuum*, quorum exemplum in fœdere *Heluetico & Rhetico* aliisque reperitur.

§. IIX. His ergo præmissis ad tractationem ipsam procedimus, ita tamen consideraturi fœderum conventiones, vt initium fiat a *potiori fœderis in specie ita dicti* parte, quæ de *mutuis auxiliis* agit, deinde fœderum quæ cum *hostibus* fiunt *pacis sc. & induciarum* sequatur *euolutio.* Faxit Deys feliciter!

CONTRAVENTIONIBVS  
FOEDERVM IN SPECIE.

§. I.

**U**stitiam foederum multi sunt qui impugnant vel ex infelicitate euentus, vel inconstantia, vel metu periculi circa libertatem & religionem & aliis. Sed pace eorum dixerim iustitiam foederum internam cum rationibus politicis confundere mihi videntur. Non autem est, vt iustitiam eorum operose defendamus, cum eadem praeter sacrarum literarum exempla ex licita confirmatione amicitiae & cognationis naturalis, vel reiterata promissione eorum, ad quae jam ex iure Naturae tenemur, vel eorum, quae cum statu naturae non pugnant, satis demonstrari possit. Cui accedit innatum defensionis studium pro qua quia omnia licita sunt, remediis naturae, & sic etiam foederibus, vt licebit. Atque sic vel ex solo hoc capite iustitia foederum elucescit, sicuti etiam ex eo satis defendi potest iustitia foederis illius Smalcaldici vid. Goldastus *Polit. Imperial. p. vlt. c. 3. ad f. Pufendorf de rebus gestis Gustavi Adolphi l. 1. §. 9. Per-III. Dn. de Iena Tr. de Ratione status Diff. IX. Concl. 2. Exc. Dn. Cocceius Patronus ac studiorum meorum Promotor summopere colendus Disp. de Imperio in pares §. 29. conf. de vtilitate foederum Conring. Exerc. Acad. Pass. III. n. 94, 97. Lehmann Chron Spér. p. 918. Non nego rebus probe circumspectis nec caeco impetu foedera percutienda esse. Ita enim omnino considerari debent mores sociorum, an sint feroces, foedifragi, an potentes infirmi, vt &*

vi-

CAP. II. DE CONTRAVENTIONIB. FOEDER. IN SPECIE. 9

*vicinitas, longinquitas, religio, pluralitas, forma Reip. alterius,*  
quæ pluribus exponit Dn. Præfes Element. Iurispr.  
p. 4. c. 11. conf. Forstner ad Tac. L. XII. Ann. p. m. 203.  
Verum hæc & alia plura quæstionis de vilitate sunt,  
quæ a quæstione iuris tanto magis secernenda, quo magis  
ea confunditur, cuius vitii arguitur Bodinus a Grotio *Pro-*  
*leg. de I. B. & P. §. 57.*

§. II. Probata ergo fœderum iustitia, probata quo-  
que erit promissorum seruandorum necessitas. Quamdiu  
enim ex iis quæ conuenta sunt, nihil est, quod S. Scripturæ,  
bonis moribus aduersum sit, vti in genere fidem sancte da-  
tam altero inuito, violare non licet, sic multo minus in con-  
ventionibus publicis. conf. B. Dn. Petri Schulzii, cuius non  
sine grato animo recorder *Disp. de singulari & communi*  
*principum Jure C. 2. th. 3.* Fides enim est fundamentum om-  
nis societatis, ex qua salus tam imperantium quam pa-  
rentium indiuiduo nexu dependet, contra violatione e-  
ius diuina humanaque iura conculcantur. Sed vtinam  
omnium idem esset iudicium, nec tam lubrica multorum  
fides in fœderibus, qui cum Lyfandro pueros astragalus,  
cæteros iuramento fallendos esse putant, amicitias ex vti-  
litate meriuntur, easque intuitu eius sine iusta causa, quæ  
alias a vinculo fœderis liberare posset, dissoluunt.

§. III. Cum autem infinitis modis fide tot sæpe so-  
lennitatibus interpositis ludi possit, propius iam contra-  
ventiones in fœderibus intueamur. Contrauentio autem  
illa fieri potest vel *circa conditione s eius expressas vel tacitas.*  
Notum quam maxime est, in fœdere primario id agi, vt na-  
turalis amicitia eo magis firmetur, & commoda alte-  
rius vnicuique viribus promoueantur. Quod si iam fœdera-  
tus

B

tus inimicitiam verbis & ipso facto ostendit, quid aliud proficitur, quam se vincula fœderis laxare?

§. IV. Fieri autem hoc potest non tantum si ipse eo malitiæ procedat, sed & si per alios hoc fieri curet, adeoque causa moralis existat. Ita omnino inimicum se gerit, si infidias struat, subditos refractarios, hostes, in perniciem eius foueat, iuribus alteri competentibus vtatur. Multo magis si fœdera cum aliis contra eum ineat, auxilia aliis clam subministret, piratas immittat, quæ omnia fere imputauit Maria Regina Angliæ Henrico II. Gall. Regi. Cambdenus *Ann. Rerum Angl. App. n. 25.*

§. V. Quod attinet expressas condiciones, potissima est realis ille amicitiae scopus, sc. *auxilia mutua*, quæ ex fœdere subministrare tenetur. Hæc enim sunt, quibus per hanc consociationem rebus nostris consultum cupimus, siue id offendendo siue defendendo fiat. Contra fœderis leges autem venit, si non tantum in genere socium deserit, (de quo §. XI.) sed & si auxilia mittere differt, vel certum numerum plene non suppeditat. Et hæc auxiliorum promissio adeo fauorabilis est, vt Principes, si sibi inuicem ex fœdere particulari ad auxilia teneantur, postea autem aliud fœdus adscitis simul aliis sociis ineant, saluis prioribus ex duplici fœdere ad auxilia teneantur, nisi aliud actum sit, id quod factum est in quadruplici fœdere inter Regem Daniæ, Elect. Brandenburgicum Frid. Wilhelmum M. Ernestum Augustum, Georgium Wilhelmum Duces Luneburgicos inito anno. 1666. d. 15. Octobr. vbi Elector noster g<sup>lor.</sup> mem. aperte declarabat, se ex vno tantum fœdere, cum iam alia cum Dano & Luneburgicis fœdera habeat, ad auxilia ferenda casu existente teneri velle Puffendorf. *Rer. Brandenb. L. 10. §. 27.*

§. VI.

§. VI. Supra dicta tamen de auxiliorum necessitate, limitantur merito, *scilicet idem rerum status maneat*, nec alius superueniat, qui si ab initio adfuisset, nunquam fœdus percussum fuisset, ex qua limitatione etiam probari potest iustitia discessionis Mauririi Electoris a fœdere Chambortico Exc. Dn. Cocceius *Disp. de Claus. Rebus sic stantibus* p. 20. quicquid dicat Thuanus *Hist. L. XVII. p. m. 812.* Bodinus & alii. conf. Speidelius. *voc. Schwäbischen Bund.* Imo *quatenus salua obligatione erga proprios ciues hoc fieri possit, nec destructio aut periculum sua Reip. simul innoluatur.* Minime tamen hic sufficit imaginaria Reip. euersio, multominus si irrita tantum est expectatio utilitatis, cuius intuitu fœdus cum altero initum fuit, sed si notorium Reip. periculum immineat, & præfens Reip. requiratur defensio conf. Bodinus *de Rep. c. l. p. m. 933.* Tunc enim demum requiritur ipsis a Deo iniunctum munus, ut Remp. quæ eorum subiit imperium, contra omnes insultus conseruent, & tunc ea est naturæ vis, ut proprii corporis maior quam alieni ratio habenda sit. Ut adeo hoc casu Princeps auxilia promittens hunc casum ab initio excepisse intelligendus sit. Ill. Pufendorf. *de J. Nat. & G. L. 8. c. VI. n. 14. c. IX. §. V.* cum omnis promissio etiam iurata intelligatur rebus in eodem statu permanentibus, quo argumento Elisabetha contra Belgas in casu simili vsa est, Cambdenus *d. l. P. IV. p. m. 692.*

§. VII. Extra hanc limitationem autem generalis est obligatio fœderati, ut auxilia præstare teneatur contra omnes fœderati inimicos, & sic cum iisdem sibi sint hostes, eundem fortunæ euentum expectare debeat, nec alia capi potest interpretatio. Id tamen oppido fallit, si personæ quædam *exempta sint, vel pro lubito vel que ex ipsa rei natura &*

*ipſo iure eximi debent, licet expreſſe hoc factum non ſit. Vitriarius Ill. L. 3. T. XIX. §. 135.*

§. II. *Illius quidem ratio per ſe clara atque valde frequens eſt, excipere aliquos contra quos arma tua ſociare nolis, vti id ſolenni illo fœdere Hannibalis & Philippi Regis Maced. factum. Polybius L. VI. c. 3. ibi: Hoſtes erimus hoſtium Regis Philippi exceptis regibus, ciuitatibus, quibuſcum fœdus nobis eſt. conf. Pufendorf. *Reſ. Brand. L. XII. p. 887. & p. 907.* Hoc autem quam maxime ad Principes Imperii pertinet. Illis quidem fœdera cum exteris inire licet per ipſas Germaniæ conſuetudines & Imperii Leges, *Inſt. P. W. art. VIII. §. Gaudeant. Capit. Joſephi art. X.* idque non tantum ad *deſenſua* ſed & *offenſua* pertinet Ill. Dn. Strykius in *Diſp. de Via facti principibus Imperii permiſſa c. I. th. 25.* Exc. Dn. Thomalius in *Notis ad Monzamb. c. V. n. 8.* conf. Furfenerius *de Jure ſuprematus c. XXI. p. 96.* licet contradicat Dn. Pfeffinger in *Vitriario Illuſtrato L. III. T. XIX. §. 135.* Verum hoc intelligendum eſt *ſaluo Imperio & Imperatore* propter intimam vnionem qua membra corpori vnita ſunt *Inſtr. P. d. l. III. Dn. Cocceius Jurispublici prudentia c. XXIII. th. 32.* Andleri *Jurispr. publ. L. I. T. V. p. VII. p. 191.* vt adeo, ſi Princeps Imperii auxilia Imperio tulerit, in fœderis leges peccaſſe ſine abſurditate dici non poſſit. Contra ſi ſupradictæ (§. 7.) exceptiones non adſint, & nihilo minus auxilia denegentur, vtique federatus fidei ruptæ reus erit.*

§. IX. Hac occasione commode quoque quæritur: *an non federatus, ſi pluribus fœdere iunctus eſt, contra fœdus veniat, ſi poſteriori fœderato auxilia ſuppeditet?* Quod affirmandum, Certum enim eſt antiquiori merito potiores par-

partes deberi, cui ab eo tempore, quo disponētis libera & illimitata adhuc erat disponendi facultas, ius quæsitum est, quod per nouum fœdus vltra terminos suæ facultatis initum ei auferri non potuit, adeo vt etiam contra socium non exceptum auxilia ferre teneatur. Si enim hoc casu & posteriorem socium iuuare velit, prioris causam non tam promoueret quam destrueret, qui casus fœdere posteriori non potest comprehendi, nec expressus intelligi. Imo hoc eo extenditur, vt si vel maxime res contra extraneum sit, & auxilia vtrisque præstari non possint, posteriori tamen sine fidei violatione assistere non possit, cum potior hic prioris sit ratio. Vtroque tamen casu merito iustitia causæ requiritur, quod sana ratio quemque docet, quæ vti omnem turpitudinem, iniustitiam auersatur, sic quoque iniustitiæ societates; quib9 ergo qui innectitur, iniuriam aliorum continuat & auget. Ex quo concludere licet *socium non rumpere fœdus, si causa prioris iniusta contra priorem posteriori assistat*, quod & in altero casu, vbi contra extraneum agitur, obtinet, Grotius *de I. B. & P. L. u. c. 15. §. 3.* ibique Dn. Cocceius, Dn. Præles *d. dissert. §. 17.*

§. X. Quod supra de personis diximus, & ad loca, commode potest referri, vt si generaliter auxilia quoad omnes fœderatorum res, loca præsentia & futura sine exceptione sint promissa, vtique fidem turpiter fallant, si quorundam locorum vel rerum defensionem suscipere detrectent. An ergo Carolus V. Imp. Anglis recte defensionem Bononiæ quasi post fœdus initum acquiritæ denegauerit, forte ex tabulis fœderis iudicandum erit. Cambdenus *d. l. App. §. 14.* Non autem opus est ad contrauentionem fœderis generali illa suscepta defensione, sed sufficit

ficit denegari auxilia ratione rerum & locorum, quarum mentio in ipso foedere exstat.

§. XI. Supra iam de desertione foederati egimus; ast non solum is deserit socium qui auxilia denegat; sed & ille qui quidem haecenus auxilia debita tulit, ex improviso tamen pacem cum hoste, deserit socio, inquit. Hoc quidem iam ipsa foederis natura continetur, sed quia magnopere socii interest, si sociatis opibus vltimum ictum vtrique expectent, solet id specialiter foedere caueri, quod patet ex foedere Cameracensi contra Venetos anno 1508. inter Pontificem, Imperatorem, Regem Hispaniae & Regem Galliae inito. Guicciardinus *Historia d. Italia* L. 8. p. 212. 213. conf. Pufendorf *Rerum Brandenburgicarum* l. 6. §. 12. Hinc, si nihilominus socius causam communem deserit, eo maior est contrauentio. Quanta enim incommoda partis desertæ, si hostis potentia circumcinctus eius furori, quem reprimere solus non potest, exponitur & vltioni, quæ egregie delineat Cominaeus *Hist. L. 2. p. 54. ed. Sleid.* Interim nihil frequentius est, quam ita agere cum sociis. Cameracensis foederis mirabilis exitus fuit pace seorsim facta a sociis, Guicciardinus *d. l. L. X. p. 282.* Paruta *Historia Venetiana* L. 6. p. 354. 356. Thuan. *L. I. Hist. ad ann. 1516.* conf. B. Brunnemannus *de Pace Politica Diss. XI. p. 227.* Nouiora tradunt Memoires de Paix de Nimegue T. IV. p. 507. conf. Pufendorf *Rev. Brand. L. 16. 17. §. 62.*

§. XII. In his quidem & similibus communiter ad extremam necessitatem & propriae Reip. commoda prouocatur; quod quidem non nego, vti iam supra §. VI. dictum est ciuibus suis magis quam socio teneri principem, adeo vtsocius, si socium æquissimas pacis condiciones præfracte & sola bellandi cupiditate respuere videat, pace sibi conglutere possit. Pufendorf. *de I. N. & G. L. 8. c. 9. §. 5.*

Sed



Sed abusus huius rei maximus est, & quilibet indistincte causæ suæ patrociniū inde quærit *d. §. 6.* Et ex hoc iam iudicari poterit iustitia superiorum exemplorum, imo an Franciscus I. desertis sociis, sololiberorum redimendorum desiderio, pacem cum Carolo V. Cameraci inire potuerit. Thuanus *L. 1. adann. 1529.*

§. XIII. Ex superioribus quoque patere satis arbitror, æqualem esse conditionem fœderatorum, nisi aliud, actum conuentumue fuerit: ex quo iam porro concludo æqualem regulariter fieri debere diuisionem prædæ nisi aliud quid obstat. Dn. Præses *Philos. pract. Elem. p. 454.* conf. Grotius *L. III. c. VI. §. 24.* Quid autem iniquius in fœderis leges fingi potest, quam vel potiores partes sibi præripere vel socium plane excludere, ex qua ratione Hispanorum fœdera cum Venetis contra Turcam non durauere, conf. Forstnerus *ad Tac. L. XII. An. c. XV. p. 204.* Multo clarior ergo fidei violatio est, si id ex abundanti fœderi infer- tum fuerit.

§. XIV. Superfunt aliæ adhuc contrauentionum species, maxime de contrauentione successoris contra fœdera antecessoris &c. sed pro instituti ratione hæc tradidisse sufficiat. Quid autem alteri parti, rupto fœdere, liceat, ex infra dicendis, vbi de Pacis violationibus agemus, intelligi poterit, vbi quoque de contrauentionibus subditorum dicendi locus erit.

## CAP. III.

De

CONTRAVENTIONIBVS  
PACIS.

§. I.

## §. I.

**D**Uce nomen pacis & illustria eius sunt in genus humanum commoda: est enim pax *status Gentium*, quo *unaqueque erga alteram naturæ leges obseruat seu socialiter vivit*. Equidem & bello sua constat iustitia, hinc est diuisio vitæ humanæ in pacem & bellum. Ast pacis est nobilior pars; Contra belli tristissima facies & funesta incommoda, quæ qui cum commodis pacis contulere certam pacem victoriæ sperata, iniustam pacem iustissimo bello præterulere. Cicero. *Ep. ad Att. L. VII. Ep. 14.* Et hinc quam optime in Imperii Recessibus coniungitur **Fried und Recht** *R. Wormat. 1495. pr. R. I. 1544. §. 81, 1548, §. 37. R. I. 1521. pr. vbi Fried, und Recht/ nachdem darauß als Grundfesten alle Recht, und Gewalt ruhen.*

§. II. Et sane videtur status hominum recta ratione vtentium pacis studium requirere, cum & ille pacificus potius quam bellicus dici mereatur, quamuis hoc inuertat Hobbesius *de Ciue L. I. & Leviath. c. 13.* bellum omnium in omnia fingens, quod solide refutat Ill. Dn. Pufendorf. *de J. N. & G. L. II. c. 2. §. 6. seqq.* Et, quod propius ad rem facit; postquam a bello cessatum & amicitia stabilita denuo est, fides sancte implenda erat & pax serio colenda, exigente id præter rationem naturalem etiam vt dictum vtilitate generis humani & religione Christiana. Sed dudum hæc doctrina ab vsu recessit, & perpetua quidem pax Amnestia perpetuo comite, initur, sed paucis elapsis annis finienda. Vix pax facta est, cum belli noui semina sparguntur, atque omnibus viribus id agitur, vt eo citius soluiatur, quasi hoc naturale sit.

§. III.

§. III. Equidem infinitis modis hæc fabula luditur, vt omnes modos recensere difficilius sit, quam iis pacem violare. Nihilominus vt promissorum fidem faciamus, genera contrauentionum pacis càm Grotio *L. 3. c. 20, b. 27.* ad hæc capita reuocabimus, quod quis veniat vel contra *id quod omni paci inest, vel contra id quod in pace dictum est, aut contra id quod ex pacis cuiusque natura debet intelligi.*

§. IV. Separare autem quam maxime solent Dd. pacis contrauentionem a noua causâ, adeo, vt dum hoc casu nihil contra pacis instrumentum prætenditur, pax salua maneat, imo pœna in casum violatæ pacis promissa, commissa non sit; multo minus fideiussores seu sponsores teneantur. Grotius *d. l.* Qui quidem insignes valde effectus sunt; sed cum hodie pacis instrumenta tanta amplitudine & tam proluxa amicitia futuræ commemoratione concipiantur, vix est vt noua belli causa posset occurrere, quæ non ad violationem pacis posset referri. Demus autem dari, vti inexhausta sunt hominum in fraudibus artificia, modo dictos quidem effectus cessare necesse est, interim tamen dum propter nouam belli causam a pace separatam bellum exoritur, pacis instrumentum indirecte & quoad effectum rumpitur. Dum enim alter reparationem iniuriæ denegat, bellum statu sociali alterius culpa soluto exoritur, & ita cum omnia in eum tanquam hostem licita sunt, etiam conditiones prioris pacis transgredi licebit ei qui per nouam belli causam læsus est.

§. V. Quantum ergo ad contrauentiones pacis & quidem eius quod omni paci inest, attinet, primum hoc est, si quis denuo bellum, quod per pacem sopitum erat, infert vel nobis, vel sociis, vel etiâ patri, aliisue pace comprehensis. Bodinus *d. l. p. m. 60a.* Hoc ipso enim statum socialem,

C

qui

qui per pacem reductus erat, turbat atque omnia officia naturæ, ad quæ noua pactione se obstrinxerat, perfido animo denegat, quo maior contrauentio vix dari potest. Et certe in hoc maxime diuinæ vltionis testimonia sunt. De Iustiano II. Imp. pacem Saracenicam frangente. vid. Cluuerus *Epit. Histor. p. m. 393*, adeo vt infideles implorato DEO vltore periurii scriptas pacis conditiones hastæ alligarint, iisque vexilli instar sublatis insignem victoriam reportarint. Tristia Vladislai Regis Hungariæ fata, pacem cum Amurathe factam rumpentis, describit Bonfinius *Hist. Vngar. L. 8. Dec. 13*. Perrus Callimachus *L. 2. de pugna Varnensi*. Erant hi fructus concilii Constantiensis infideli sc. fidem datam seruandam non esse, quæ impia sententia Christianæ rei sæpius nocuit. Bodinus *d. 1. Recentioria exempla*, addere nolo; interim vid. Pufendorf. *Rerum Brand. L. 13. §. 3. L. 15. §. 43*, quo cum iungatur Lunig. *syll. Neg. publ. p. 134. 150.*

§. VI. Merito autem, quod de belli illatione diximus illam restrictionem recipit, quamdiu sc. ille rerum status manserit; quod si enim alter belli causam præbuerit, non potest hoc pace comprehensum videri, vt alter vi præcedentis pacis iniuriam non possit vindicare. Grotius *d. 1. §. 28*. Verulamius *Hist. Henr. VII. p. m. 79*. cum de noua causa transactum non sit, vti id in ciuilibus de omni transactione intelligitur. Et tunc demum vere pax rumpitur, si ex veteri causa sequatur offensio. Burger *Obs. Iurid. Pol. Militar. Cent. I. O. 56. p. 250.*

§. VII. Vt vt autem hæc ita sint; attamen & in hoc casu species fidei læsæ occurrere potest. Solet enim in dicto casu præcaueri, ne, licet causa ab altero data videatur, statim ad arma conuoletur, sed prius res coram arbitris amicable-

cabi-

abili compositioni submittatur *Instr. P. W. art. 17. §. 7.* vel etiam damnum reparatur. Qui ergo his remediis spre-  
tis arma capesit, sine dubio contra pacis leges venit, quo  
casu etiam in Imperio pacis fractæ crimen violans incurrit.  
*Instr. P. d. l.*

§. VIII. Vei autem subditorum securitati quoque per  
pacem prouisum, vt & iis bello illato pax rumpatur, Gro-  
tius *d. l. §. 32.* Ita ex natura oppositorum fluit, quod & ab  
his, si quid paci contrarium per vim armatam faciunt, pax  
rupta censeri debeat; quod tamen tunc demum obtinet, si  
id Principe sciente, conniunte, nec eos puniente factum  
fit. Hoc enim casu ad actiones subditorum tanquam cau-  
sa moralis concurrere dicitur, dum eas tacite iubet & ad-  
probat. Non tantum enim quis ad actiones aliorum a-  
gendo, sed & omitendo id quod facere debuisset, con-  
currit.

§. IX. Et hoc quidem omnino est contra pacis te-  
norem, licet quoque in se fit contra primum omnium ho-  
minum erga alios omniumque gentium *Neminem sc. lede*  
*officium, sed indirecte tantum*, vti modo dictum. Ast huic  
non absimile est, si princeps non adhibet quæ possit ac de-  
beret ad impedienda latrocinia ac piraticam. Grotius *d.*  
*l. §. 32.* dicit: *Censendum esse facere id rectoribus suis improban-*  
*tibus; sed merito hoc exceptionem patitur, si facta eorum*  
*vel notoria vel denunciata sint, multo magis ergo si autori-*  
*tate principis immittantur, quo casu illi læsionis a Principe*  
*imperatæ mera instrumenta sunt.*

§. X. ALTERVM pacis ruptæ caput est, si contra ve-  
niatur ei, quod in pace dictum est seu conditionibus expressis.  
In genere autem Politici notant, condiciones pacis debere  
esse æquissimas, non nimis duras. B. Brunnemannus *d. l.*

*Dissert. VII. §. 3.* Forstnerus *ad Tac. L. XI. Ann. p. m. 357.* Sed id quæstionis Politicæ est, vt eo melius pars altera ad fidem seruandam adstringatur. Interim vt vt duræ sint conditiones, pars altera tamen ab obligatione fidei semel interpositâ sese eximere nequit, cum alias semper, vbi victor, victo leges dat, pacta rescindi possunt, quod autem fieri sancta humani generis ratio prohibet. Excipiunt alii causam metus, ex quo Franciscus I. captiuitate dimissus causam suâ perfidiæ quæsiuit, quasi metu adactus consensisset in conditiones, sed Francisco inde parum præsidii ob modo dicta accedit; an autem ex deficiente consensu procerum Regni hoc defendi possit, nunc non examino. vid. Bodinus *de Rep. d. l. p. 932.* conf. Per Ill. Dn. de Rhez. *diff. de pace tb. 96.* Grotius. *de I. B. & p. L. 3. c. 19. th. 11.*

§. XI. *Expressas dico conditiones,* sed eo ipso nō excludo conditiones illas, quæ ex natura pacis alias non fluunt, interim adhibitis regulis interpretationis, (de quibus ex fundamēto egit Exc. Dn. Thomafius in *der Ausübung der Vernunftre Lehre p. III.*) ex similitudine casuum vel alia rei connectione plane eliciuntur. Ast hic merito omnes vani respectus debent exulare, & vanæ causæ a veris sunt separandæ. Sape enim quis pro vtilitate sua sibi nouas fingit, easque pacis tenori congruere prætendit, de quo exemplorum tristissima seges. Hodie cum de erectione IX. Electoratus disceptatur, omnibus modis id agitur, vt eam menti Instr. West. repugnare probent, quorum multa ratiocinia exhibet scriptum, cui titulus: *Die untadelhafte conduite derer correspondirenden Reichs Fürsten/ welche Sie bey anrufung derer hohen Guarans des Westphälischen Friedens über die IX. Thur- Sache erwiesen*  
1700.

1700. Sed nos iam merito ab his controuersis publicis abstinemus.

§. XII. Expressæ autem conditiones, seu, quæ in ipso pacis instrumento diserte existant, variæ sunt. Quot enim ibi reperiuntur capita eg. de cessione & restitutione locorum, exercitio iurium secularium & Ecclesiasticorum in locis cæsis, & sæpius de coniugio Regis seu Principis (vid. Braudtlacht *Hist. Pacificationum pag. 46. 79, 89. &c.*) &c. &c. tot etiam contrauentionum species dantur, quarum magnum numerum ex Historia congerere possemus. Verum non adeo opus erit longius prospicere, cum innumeræ pacis Westphalicæ Osnabrugensis, & Monasteriensis & Neomagensis adsint contrauentiones. Reddita erat pax Germaniæ per pacem Osnabrugensem, atque supremum dominium in Metensem, Tullensem, Verodunensem Episcopatus & alia plura Regi G. cessa erant INSTR. P. *Monast. §. 70, 71, 72, 73. &c.* sed quid breui post aliud actum, quam quod contra clarissimam Instr. pacis West. dispositionem initium factum sit iniustæ extensionis supremi dominii, Landgrauatus Alsatia & Præfecturæ Hagenoensis. Idque post pacem Neomagensem, qua Westphalica confirmata est, ad effectum plenius est deductum, adeo vt decreto Comitali d. <sup>30 Ian.</sup> 9 Febr. a. 1680. ad

querelam Camerae Spirensis ad Comitia Ratisbonensia facto, XIV. capita violatæ pacis enarrata fuerint. Ill. Dn. Cocceius *I. P. Prud. c. V. S. II. §. 35, 37, 39.* Lunig *d. I. p. 675, 730 &c.* Adm. Reu. Dn. Becmanus *in Not. MS. ad Instr. P. Ryswic. c. 1. pral.* Quæ omnia iniustitia illa reunionum ita adaucta sunt, vt tandem rupto armistitio noua belli flamma exarserit, quæ pace Ryswicensi demum extincta est, Pufendorf *Reu. Brand. p. 1466.*

§. XIII. In Instr. Pacis Westph. quoque securitati conscientiarum egregie prouisum est; quid autem hac in parte actum sit tristia subditorum fata loquuntur, vt miseri illi inuiti ad sacra dissentientium amplectenda trahantur experientia teste, quæ tamen res per se rationi aduersatur, & religio omne externum imperium respuit, sed potius lenitatis & mansuetudinis spiritu propaganda esset, a quo certe non leue momentum Reip. felicitati accedit si sc. vnicique libertas suæ Religionis relinquatur. conf. Marcus Ant. de Dominis *de Rep. Ecclesiast.*, p. 581. p. 2. l. 6. Vtut etiam terminus ille fatalis & regulatiuus diei 1. Ian. 1624, in dicta pace ratione religionis & bonorum Ecclesiasticorum satis firmatus sit, nihilominus tamen ille toties quoties iam contra pacti fidem inuersus est, & hæc omnia ex male applicato illo principio: *Cuius est Regio, illius etiam est Religio*, cuius sensum pluribus docet, Dn. Rechenberg *in Diss. de hac materia*. Imo etiam adeo contra pacem venit, vt, quamuis in illa subditis beneficium emigrandi indulgeatur, flebili hoc beneficio penitus defraudentur, quod tamen voluntati & optioni eorum vi Instr. P. relinquendum erat, Per-III. Dn. de Iena *Tr. de Rat. Status Diss. XXII. Concl. II.*

§. XIV. Et hæc pauca exempli loco sufficiant. Conditionum autem capita alia sunt *maiora*, alia *minora*, de quibus quidem alii ita sentiunt, quod si articuli pacis separari possint, vno violato capite pax de cætero subsistat, & quod in minoribus violatio non adeo statim præsumenda sit. Burger *d. l. Obs. 86. p. 250.* Tesmarus *ad §. 35. d. c. 20.* Quæ quidem iuris imperfecti & virtutis esse possunt. Verum, nisi aliter conuentum, si alter iuri suo striete inhærere velit, non video rationem quæ alterum iure suo cedere cogat



gat; cui accedit quod illo casu nil nisi lites oriri possint, altera parte separationem articulorum, altera connexionem capitum indiuiduam vrgentibus; Vt adeo inter dolum & culpam, modo notoria sit, non sit opus cur statuetur discrimen. Grotius *d. L. 3. c. 20. §. 35, c. 21. §. II.* ibique Gronovius.

§. XV. His contraventionibus addi solet tertium, quod sc. pax solvatur faciendo id quod *specialis pacis natura repudiat*: idque maxime hodie obtinet, vbi laxior Amnestiæ amicitiaque futuræ de prædicatione in fronte pacis instituitur, quanquam, si accuratius rem inspicere liceret, forte & hoc caput ad primum caput referri posset, cum non tantum id paci inesse videatur, ne vis armata inferatur, sed & ne aliis factis hostilibus, salus & quies turbetur, adeoque vtroque casu socialitas turbari possit.

§. XVI. Hucautem pertinent imprimis atroces minæ, iniuriæ personis coniunctis ad fugillationem, partis paciscentis factæ, arces in finibus fructæ nocendæ causa & insolita copiarum conscriptio, ex qua iustus oritur metus, si iustis satis indicis appareat in non alium quam in eum, qui cum pax facta est, comparari, Grotius *d. I. §. 42.* Alias hic metus quidem sufficit ad comparanda remedia defensionis, non autem ad inuasionis anticipationem Per Ill. Dn. de Rhez. *d. Disp. tb. 102.*

§. XVII. Accenseri autem his merito debet, si transitus innoxius alicui degeneret. Grotius *L. 2. c. 2. §. 13.* Item si exercitum, qui aduersus fœderatum vel socios ab alio ducitur, per fines suos & vrbes transire permittat. conf. Polybius *Exc. leg. 35.* Vel si delinquentes & subditos rebelles recipiat, quorum tamen receptionem contra amicitiam non esse, indistincte alii asserunt. De exsulibus, seu a quibus ple-

plene iustitiæ satisfactum est, hoc concedi posset, quem in finem egregius est locus apud Liuium *L. 2. Dec. V.* De illis autem, qui nondum damnati seu quibus saltim propter contumaciam absentiae pæna temporalis dicta est, hoc tuto asserere non licere videtur, maxime si subditi eminentioris fortis sint, conf. Verulamii *Hist. Henr. VII. p. 79. & 80.* vbi receptio subditorum rebellium Ducis Aurelianensis & aliorum a Duce Britanniae facta iustam belli causam Carolo VIII. R. Galliae præbuit. Tandem his addunt alii trophæi erectionem quæ amicitiae & paci valde contrariari videtur, si nuperrimi hostis nunc fœderati, non sine dedecore mentio in ea fiat. conf. Gruterus *ad Tac. in Ax. c. 22.*

§. XVIII. Et hæc sunt potissima pacis fractæ capita, ex quibus quid iam alteri parti liceat, haud obscure conjici potest. Merito tamen cauendum est, ne statim citato impetu alter perfidiæ insimuletur, & sic arma quasi pace soluta sumantur. Actus enim Principum humani sunt, & sic rationi, quæ homini propria est, maxime congruere debent, nec summum illud fastigium, quod Deus & natura iis tribuunt, de Principe perfidiam statim præsumere permittit. Primum itaque est vt videamus, an iustæ causæ ipsis suppetant vel ex iure proprio vel ex dubiis pactorum capitibus, quæ dubia legitimis modis antea dirimenda sunt. Deinde, an respectu conditionis implendæ necessitas aliqua, aut impossibilitas superueniens emerferit. Quod si iam iustæ deficiant causæ, & dubiis sublatis nihilominus denegetur petitæ iniuriæ reparatio, nec impossibilitas casualis præstatione æstimationis refarciatur, tunc demum aperte concludere licet: fidem fœderatiliæ si plane liberari, ipsique integrum esse bello id persequi, quod perfidia socii, ipsi ablatum est. Deficit enim conditio fidei a parte altera, quæ his præ-

sup-

suppositis circumstantiis & posita partium paciscentium æqualitate, omnibus pactis inest. Et fœderato quidem rumpitur pax, ipse tamen eam non rumpit, quod fieri nequit, cum nemo negotio, quod per se nullum est, contrauenire possit. Barbofa in *Thesauro Tit. de Contrauentionibus Ax. II.* Quin potius socius sua propria perfidia alterum nexu obligationis iam liberauit Grotius *L. III. c. 19. §. 14. 15. c. 20. §. 28.* An autem aliter generosius agat, si (quod ipsi integrum est) iniuria facta nihilominus paci & fœderibus stare velit, & an pace rupta arma statim capessere conducatur, alius fori est tractatio, quorum primum iis relinquimus, qui præceptis patientiæ sine discrimine solent esse liberales.

## CAP. IV.

De

## CONTRAVENTIONIBVS

INDVCIARVM.

§. I.

**E**mporarium fœdus, quod cum hoste initur, sunt induciæ, quæ status certantium sunt, per quem bello manente ad tempus bellicis actibus abstinetur; ex quo apparet belli causam hic non decidi sed suspendi, vnde etiam dicitur εἰρήνη πρὸς καιρὸν πόλεμον ὀδύνησα, quod ex ratione constat & exemplis. vid. *Dauila delle Guerre Civili di Francia L. X. p. 505.* & alii plures. Pacis contranatura, quia nouam causam ominari res est tristitiæ plena, ex contrahentium intentione æterna est, cum super lite plene transigatur, & semina litis restinguere studeant, quod fieri omnino debet

D

fi

si discordia manere non debeat. Tacitus *Hist. L. 4. c. 80.* Omnis proinde temporis adiectio paci contraria est. Et quamuis paci simillimæ videantur induciæ in longum tempus factæ e.g. centenæ Veientium, & Lacedæmoniorum quinquagenariæ, imo breuiores, si omnis belli apparatus soluitur, vti in vicennali armistitio, ex dictis tamen contrarium elucescit.

§. II. De deriuatione induciarum, scribendi ratione & aliis, ne extra oleas vagemur, hic non agimus, idque iis relinquimus, quibus notio iurisdictionis, mixtum merumque Imperium circa verba ex immemoriali proscriptione competit, conf. Grotius *L. 3. c. 31. §. 2.* Vossius de vitiiis fermonis, *L. 1. c. 1. p. 4.* An autem *induciæ* ad longum, *armistitium* ad breue tempus pertinere debeant, vti volunt aliqui, in eo hodierni mores vix sibi scrupulum movent, quod armistitii vicennalis exemplo probari potest.

§. III. Id maioris ponderis est, an induciarum fundamentum in Iure Naturæ reperiatur. Negare hoc videtur Pufendorfius *de I. N. & G. L. VIII. c. 7. §. 2.* Cum autem omnis belli iustitia in persecutione iuris sui consistat, & is, qui bellum gerit, se plane suo iure abdicare possit, non video cur non possint pacisci, vti in persecutione iuris ad tempus cesserit. Accedit, officia socialitatis quæ per bellum plane sublata sunt, ad tempus reducere, non esse pactum iniquum. Imo cum alias obligatio ad tempus fieri possit, & maxime in rebus nostro arbitrio relictis, idem etiam fieri poterit in induciis. Taceo interesse humani generis inducias seruari, vt pacis tractatio, quæ vt plurimum scopus induciarum esse solet, eo firmitus & melius suscipi possit. Plane diuersa autem quæstio est, an semper inducias inire  
con-

conducat parti prævalentiori, cum alias imbecillio rem ad egregias pacis conditiones adigere potuisset, hic autem tempore induciarum vires suas colligere adeoque postea plus nocere possit. conf. Boxhornii *Disquis. Polit. c. 4.* Baudius *L. 2. de Ind. Belgicis*, de quarum utilitate Politici in utramque partem disputant.

§. IV. Diximus supra, pactis induciis belli furorem ad tempus prohiberi. Ex hoc iam concludo: Eum qui bellum inchoat tempore induciarum nondum præterlapso, aperte contra leges induciarum venire. Tempus enim est norma, ad quam exercitium belli componi debet, qui ergo normam lædit, ipsum negotium, quod a norma separari nequit, violare necesse est. Ita Imp. Maximilianus pactas cum Venetis inducias triennales rupisse dicitur, quod hostiliter dominium Venerorum intraverit tempore nondum præterito. Guicciardinus *Histor. d. Italia L. 7. p. 210.* Paruta *d. l. L. 2. p. 86.* Eodem modo Franciscus I. R. G. Inducias Nicææ ad X. annos factas violavit. Idem vix facta pace Crespiacensi iterumque rupta Vaucellis, Inducias a. 1556. inierat, sed astu Pontificis Pauli IV. & ope Cardinalis Caraffæ soluta sunt non sine perfidiæ macula; quod argumentum pluribus tractant Thuanus *L. 1. p. 44. L. 17. p. 778. 782.* Braudtlacht. *Hist. Pacific. c. 7. 8. 9.* Tempus autem variis modis adiici potest, vel ut continuum, vel ad certum diem. Vtroque casu naturalis computationis ratio habenda est, quippe cum actus Principum ex Iure Naturæ hic metiendi sint, & computatio naturalis in posteriori casu sit favorabilior. Grotius *d. l. §. 4.* Zochæi *Ius sec. p. 11. qu. 25.*

§. V. Non solum autem induciæ rumpuntur, si quis bellum alteri infert, loca alterius occupat, obsidet, sed etiam omni actuum hostilium exercitio. Ita uti querumpit, qui subditos alterius lædit vel lædi curat, eos intercipit, tributa exigit, hospitationes instituit, conf. Pufendorf *Rerum Brand. L. XVII. §. 54.* nisi aliud pactum adfit *Art. VII. armist. Hisp. Gallici.* possessionem corruptis hostium præsiidiis vel alio actu interuertit, licet antea res eius fuerit, sufficit enim possessionem rerum in statu quo sunt, quietam esse debere. Quod confirmatur ex eo, quod postliminium in induciis cessat, conf. *L. 19. §. 1. de capt. & postl. res.* quia iudicium partis, quo quæque pars hostem iniuria possidere dicit, per pactum induciarum cessat. Excell. Dn. Cocceius *Disp. de Postliminio in pace & Amnestia sect. III. §. 32. 33. 34.* Violat quoque inducias, qui iuribus superioritatis in terris alterius uti vult, vel varias præteniones format. *art. V, XII. armist. Caf. Gallic.* Item qui commearus innoxios prohibet, nisi aliter dispositum sit, uti hoc solet inter milites prohiberi, ne coniurationibus & prodicionibus ansa detur, vel etiam mores militum erga se inuicem mutantur *Burger d. l. p. 458.* Grauiter quoque peccat, qui rebus de quibus dimicatur, perpetuum præiudicium inferre satagit arces vel vrbes vel alia rebus controuersis imponendo, quo ipso durior alterius conditio redditur, quæ tamen post inducias æqualis esse debebat.

§. VI. Equidem in suo territorio durantibus induciis omnia parare potest, quæ ad defensionem faciunt e. g. militem conscribere, mœnia reficere: idque ex gene-

nerali induciarum ratione, si nihil aliud cautum sit, clarissime demonstrari potest. An autem idem obtineat in induciis ad certum tantum actum v. g. sepulturæ, ne oppugnentur obsessi &c. concessis, inter Grotium *d. c. §. 10.* & Pufendorf. *d. l. §. 10.* disceptatur. Illius quidem opinio strictæ pactorum interpretationi convenit, huius autem fauorem defensionis continet cui renunciassse non videntur, si expresse nihil aliud actum sit.

§. VII. Nunc ergo conici potest, falsum omnino esse, Gallorum assertum, durantibus motibus inter Carolum VII. R. G. & Henricum VI. R. Angl. scil. non esse contra inducias, si nihil vi publica & aperta fiat, id quod ex iam dictis manifestum est. Verum dudum hic mos Regum Galliæ fuit ita sine iusta causa fide ludere, cuius vltimum forte exemplum existat in contrauentione famosissimi Armistitii vicennalis anno 1684. fracta pace Neomagensi, iniri; quam nec hoc casu, vti nihil ferme est, quod non colore aliquo tegere possis, belli redintegrati excusationes deessent, quod sc. Imperator varia fœdera contra R. Galliæ iniisset, renouasset, inducias in pacem perpetuam conuertere nolisset, Electorem Palatinum violenter ea, quæ Ducissæ Aurelianensi deberentur, inuadentem protexisset, Cardinalis Furstenbergius instinctu Imperatoris exclusus esset. Sed hæc partim sunt petitiones principii, partim a parte altera originem capiunt, partim autem nihil ab Inuictissimo Imperatore factum est, quod non sacratissimo eius munere contineatur conf. Lunig. *d. l. p. 1024.* Per III. Dn. de Pufendorf *Rev. Brand. L. XVIII, XIX. §. 43. &c.*

§. IIX. Superfunt alia contrauentionum genera, sed ea ex illis quæ de pace supra diximus, dignosci possunt, quemadmodum & hoc casu idem in focis obtinet. Subditi autem contra inducias venire dicuntur ab eo tempore quo induciæ obligant sc. a die publicationis, quamuis facta subditorum regulariter inducias non rumpant, nisi publicus actus Imperii seu ratihabitionis accesserit. Grotius *d. l. §. 5. 13.* Burger *d. l. ibique cit.* Mynsingerus *Cent. 4. obs. 7.*

§. IX. Quid vero ruptis induciis liceat, supra c. III. præoccupauimus dicere. Licet ergo multi sint, qui iniurias hac contrauentione illatas æquo animo ferre soleant, Cornelius Nepos *in Agesilao. c. II.* Thuanus *Hist. L. 21. p. m. 968.* hoc tamen ratio iuris præceptiui non semper postulat. Et hoc adeo verum est, vt ruptis induciis (sicuti etiam tempore induciarum præterlapsio) siue indictione ad arma redire ex tristissima ratione alteri liceat, modo contrauentio sit notoria & satisfactio denegata; vtut ad ordinem in mundo melius conseruandum omnibus fere gentium moribus receptum esse tradant, vt si non solennis indictio, aliqua tamen futuri belli contestatio præcedat. Alias exceptiones ratione pænæ habet Grotius *d. l. §. 12.*

§. X. Multa hæcenus de Contrauentionibus per tractauimus; Quis autem de iis iudicare debeat, e re esset pluribus disquirere. Sed breuibus dicimus, partem vtriusque partis hic esse conditionem, & sic neminem sine alterius consensu quid addere vel demere debere, quod in specie cautum in fœdere Romanorum & Antiochi, ex abundanti tamen, Polybius *excerpt. leg. 35.* Quoniam vero partes in hoc iudicio sapius in diuersa distra-



distrahuntur, & ne statim ad arma, quæ inter eos iudicis locum suppleant, conuolentur, optime de contrauentionibus iudicant arbitri vel iam in tabulis pacis seu fœderum nominati, (Les Gvarans) vel vnanimi consensu deinceps eligendi. conf. *Instr. P. Osnabr. in f. Armistit. Cæs. Gall. art. 16.*, quo ipso tamen iudicibus plane nihil Maiestatis seu potestatis in alterum acquiritur.

§. XI. Et hæc sunt, quæ secundum methodi propositæ rationem tradenda fuerunt. Superfunt, ingenue fateor, nonnulla & imprimis de vero fundamento dubiæ contrauentionis, sc. doctrina de Interpretatione, paullo fufius agendum fuisset; Verum hac vice eo vsque progredi mihi tantum licuit, ea tamē spes superest, vt si occasio tulerit, minus recte dicta corrigere, quæ dicenda sunt, prout ingenii fere imbecillitas, supplere possim. Tibi, interim, Alme Deus, humillimas gratias persoluo, quod largissimam benedictionem conatibus meis hactenus impertitus fueris, quod vt imposterum clementissime facias, atque adeo ruis auspiciis, quicquid in me erit, Ecclesiæ Reip. & proximi commodo impendere possim, deuotissimis precibus Te obtestor.

## COROLLARIA.

I.

**I**usiurandum promissorium per se nullam obligationem producit, sed obligationem iam ante existentem confirmat.

§. II.

Recte itaque equidem asseritur, cum pactum aut promissum non obligat, non etiã obligare iuramentum; sed caue, ne hoc dogmate lenitati in iurando patrocineris.

§. III.

§. III.

Licet iusiurandum non sit illicitum, magis tamen & grauius hac in re peccatur apud eos, qui hoc licitum esse contendunt, quam apud eos qui asserunt Christiano nefas esse iurare.

IV.

Errant magnopere, qui iuris naturalis certitudinem ex eo impugnant, quod multæ & variæ sint Doctorum virorum de principio iuris naturalis opiniones. Namque ex eo nihil aliud colligi potest, quam dissentire eos circa modum interpretationis.

V.

Nimirum circa ipsa principia & præcipuas conclusiones non potest non inter omnes homines vsu rationis pollentes conuenire: dissensus autem in eo saltem est, an conclusiones accuratius ex hoc, an vero accuratius ex alio principio deriuentur. Qui sane dissensus non adeo magni momenti esse videtur.

VI.


Recte docent Stoici & cum illis Ambrosius, virtutes omnes indissolubili vinculo inter se esse colligatas, adeo vt qui vnâ habet omnes habeat, qui vna destituitur omnibus destituatur.

VII.

Virtutes neuiquam pro mediis consequendi summum bonum, sed pro summæ felicitatis emendatæque voluntatis effectibus habendæ sunt, consentitque hac in re cum ratione egregie Scriptura S. in qua *fructuum* nomine veniunt.

§. VIII.

Ex corruptione voluntatis pendet corruptio intellectus. Hinc ea demum vera ad eruditionem via est, quæ initium sumit ab emendatione voluntatis.



NOBILISSIMO DISPUTATIONIS AUTORI  
CAROLO FRIDERICO GOLD-  
BECKIO,

S. D.

SAMUEL STRYKIUS, JC.



Ita publice ostendendum  
Tibi fuit, Te contra Pa-  
rentum Cognatorumque  
vota hactenus non venif-  
se, sed expectationi eo-  
rum exacte, respondisse, dum *de Con-  
traventionibus Fæderum* erudite dis-  
quiris. Etenim uti Gentis Tuæ monu-  
menta insignia extant, quibus eruditis-  
simis scriptis famam nominis posterita-  
ti commendarunt; Ita dignam Te  
Goldbeccianæ stirpis propaginem exhi-  
bes, partam a Maioribus Literarum glo-  
riam non obfusando, sed novo quodam in-

ingenii flore in apricum producendo.  
Hinc postquam ex Academia Viadrina,  
Excellentissimorum Ictorum DN.  
COCCEJI, & qui diutius vivere dignus  
erat, DN. SCHULTZII solida doctrina im-  
butus ad Fridericianam nostram acces-  
sisti, nihil antiquius Tibi fuit, quam per-  
ficere hic loci, quæ Tibi ad metam ex  
voto contingendam prodesse videban-  
tur. Singulos itaque publici privati-  
que, imo feudalis & Ecclesiastici juris  
partes omni studio absolvisti, & di-  
gnum Te reddidisti, qui patriæ commo-  
dis promovendis aliquando adhibearis.  
Cum vero modestia singularis, animi-  
que probitas eruditioni Tuæ iuncta sit,  
eo maior spes Tibi affulgebit futu-  
ræ felicitatis, si enixius omnes ani-  
mi vires ad gloriam Dei promovenda-  
dam intenderis. Hoc vero ut efficias  
feliciter, animitus apprecor. Vale.  
Dabam e Musæo die XII. April. Anni  
MDCCI.

ORNATISSIMO, POLITISSIMOQVE  
IUVENI  
CAROLO FRIDERICO  
GOLDBECCIO,

*s. d.*

IO. FRANCISCVS BVDDEVS.



**R**ecte & ordine facis,  
optime Goldbecci, dum studiorum  
tuorum aliquod edis specimen, &  
quantum sub peritissimis vtrius-  
que iuris, civilis & naturalis magi-  
stris profeceris, demonstras. Ego  
ita sentio, & ita eos quoque instruo,  
qui in meam se disciplinam tradunt, operam illos oleum-  
que perdere, qui litteris ita incumbunt, vt sibi saltem  
suisque musis canere videantur, de fructu ad alios inde  
redundaturo parum solliciti. Thesaurum qui latet, a  
carbonibus nihil differre arbitror: imo hos illi praetule-  
ro, cum aliquem saltem inde homines percipiant vsum.  
Inter omnia Romanorum instituta nullum mihi magis  
placuit quam illud, quo adolescentes grauissimis de Re-  
publica consultationibus aliquando interesse voluerunt.  
Sapienter enim iudicarunt, vitae ciuilibus actibus negotiis-  
que tractandis a tenera aetate aduefaciendos esse, qui  
reipublicae aliquando inseruire debeant. Hunc in de-  
fue-

suetudinem abiisse morem doleo, imo mirarer, cum in  
noxiiis & inutilibus tanta aemulatione Romanos imite-  
mur, saluberrima illorum contra nos negligere insti-  
tuta, nisi constaret, casu potius & impetu, quam consilio  
ad nos translatum esse, quicquid prisca Romani moris re-  
tinemus. Iuvat interim in scholis praeexercitamentis  
quibusdam iuuenum ingenia ad sublimiora praeparare:  
quae inter non ultimum locum mea quidem opinione,  
academicae disputationes tenent, praesertim si argu-  
menta in vita civili profutura feligant, qui in hanc palae-  
stram se conferunt, in quibus ingenii periclitentur vi-  
res. Te vero, doctissime GOLDBECCI, non tantum ideo  
laudo, quod morem istum receptum frequentes, sed  
quod ita in hoc campo te geras, ut omnes intelligant,  
talem te futurum, qualem & Patroni & Fautores studi-  
orum Tuorum Te esse cupiunt. Quo nomine & Tibi  
gratulor, & vt saepius, qui Tibi bene cupiunt, gratulan-  
di Tibi occasionem nanciscantur, DEVM praepotentem  
obsecro atque obtestor. Vale

---

ERRATA,

p. 6. l. 10. post v. *adem inf.* fere l. 28. post v. §. 57. p. L. IX. §. 12. p. 7.  
l. 3. post v. *confoederationibus p. Brüderl. ErbEinigungen.*  
p. 9. l. 27. inf. add. *Quantum ad has, p. 12. l. 1. p. debent. inf.* ut  
ut in posteriori idem velint. p. 14. l. 25. post §. 62. add. & *Tr.*  
*der Sapoische particular Friede p. 16. l. 15. inf. naturalis.*


Halle, Diss., 1707 (Br/R)

ULB Halle 3  
001 513 001



Sb









B.I.G.

Farbkarte #13

Gent. 3. num. 15. ~~E. B. 20. 21. 4~~  
1901 17 8

D. B. V.  
IVRIS GENTIVM  
de,  
**ENTIONIBVS**  
**ERVM,**  
quam  
NIFICENTISSIMO,  
RINCIPE AC DOMINO,  
**CO WILHELMO,**  
ET ELECTORATVS  
ELIQUARVM PROVINCIARVM  
&c. &c. &c.  
**FRIDERICIANA**  
ESIDE  
**SCO BVDDEO,**  
P. P.  
PRIL. A. M. DCC. I.  
um examini submittit  
CTOR  
**CVS GOLDBECK, Stendal.**  
r. Stud.  
r. Henckelii, Acad, Typogr.

